



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorivs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorvm, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolum Regem directa, in qua continetur de saccratione Petri Episcopi, seu & de territorio Sauinensi. LXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Pape, ad
Domnum Carolum Regem directa, in qua continetur de
sacratione Petri Episcopi, seu & de terri-
torio Sauinensi.*

LXXVI.

Summ 36.
Bar. &
Cent.

DOMINO excellentissimo filio nostroque spiri-
tuali compatri Carolo Regi Francorum, & Lan-
gobardorum, atque Patricio Romanorum,
Adrianus Papa. Nectareas mellifluasq; regalis excel-
lentiaz vestrae per harum transiectorem Petrum Re-
uerendissimum & Sanctissimum fratrem iam & Coë-
piscopum nostrum, suscepimus Syllabas, in qui-
bus de eius ordinatione reperientes, illico benignae
voluntatis vestrae mandata, sicut soliti sumus, impleui-
mus. Quem petimus pro amore B. Petri, Apostolorum
principis, fautoris vestri, & nostra inuicem firma
dilectione, in omnibus eum tenentes, amplius illum
exaltare dignemini. Sic enim decet, ut qui ab Aposto-
lica sede ordinatus fuerit, omnibus in honore Cano-
nicæ institutionis, sicuti mos antiquitus fuit, partibus
illis præcellat. Quantam enim fiduciam atque gloria-
tionem in vestra præcelsa regali potentia habemus
lingua ut reor humana, fari non potest; quatenus
ipse iam fatus Petrus Reuerentissimus & Sanctissimus
frater & Coëpiscopus noster insinuare potest, quanta
amoris feruentia cor nostrum in vestra triumphatissi-
ma præcellentia die noctuq; existit, & dum tantam fi-
duciam de vestra à Deo protecta regali excellentia ge-
rentes habemus, nimis expectabiles sumus, sicut vobis
poscentes direximus, de Sauinensi territorio, ut ea,
quæ mercede animæ vestrae, pariterque spiritalis filiæ
nostræ,


nostre, atq; commatris, nec non vestre nobilissimæ
prolis, B. Petro Apostolorum principi, in integro cō-
cessistis adimplere per fidelissimos Missos vestros, qui
& causam ex parte examinauerunt, sicut & antiquitus
fuit, & contradere nobis iubeatis, ut ab ipso regni cœ-
lorum clauigero, dignam retributionem hic & in fu-
turo recipere mereamini.

Enimuero prædictus Petrus Reuerendissimus &
Sanctissimus frater & Coëpiscopus noster, obtulit no-
bis Pseudopyctacum à Paulino, sicut fatus est, pro
Theodosio quondam interpretatum, & à vestra ex-
cellentia nobis directum; habens insuper * à scriptio-
ne breuiarium Chalcedonensis concilij à quodam <sup>f. adscri-
ptum.</sup>
Verecundo Episcopo editum, quem in apocryphis re-
perientes falsidicus inuenietur. Sancta vero Catholi-
ca & Apostolica spiritalis mater vestra, Romana Ec-
clesia, non breuiter, sed totum sanctum & venerabile
quartum Chalcedonense amplectens prorsus vene-
ratur, & non audet relinquere sanctum & venerabile
eius constitutum, & exsequi à quodam factum breuia-
rium, nullam consonantiam sanctæ institutionis ha-
bens. Nos quidem protanto amore, quem erga ve-
stram à Deo institutam regalem potentiam habemus,
direximus vobis ex eodem sancto & venerabili Con-
cilio ante actionē eius exemplar Epistolæ sancti Leo-
nis Pontificis, ad clerum & nobiles Constantinopoliti-
tanos, atq; populum eiusdem ciuitatis directæ, post
actum iniquum & peruersum in * Efesina vrbe secun-
dum Concilium aduersus sanctum & venerabilem
Flauianum eundem Constantinopolitanum Episco-
pum; condemnans impiissimum Di scorum atque
prophanum Eutychem, adhortans atque commonens

prædictum populum, vt in ea fide permaneat in qua Christianissimum principem eorum nouit permanere, talis enim alius & venerabilis vir, atque in toto orbe sanctus Leo Papa, noster præcessor, opinatissimus prædicabilis fuit, vt si aliquid in fide aduersus Theodosium imperatorem scandalizatum fuisset, nunquam post actum iniquum & latrociniosum secundo in Efeso factum, ipse præcipuus beatus Pater, sanctus Leo haereticos damnans, laudasset fidem Theodosij. Sed magis pariter cum ipsis, velut consentaneum eum damnasset.

Nos quidem, sicut fati sumus, apocryfos libros non sequimur, sed eos veneramur & amplectimur, quos sancta Catholica & Apostolica suscepit Ecclesia, in qua fundati vna cum filia nostra & spirituali commatrem Domna Regina, atque vestra triumphatissima subole per multorum annorum curricula regno perfici dignemini, & cum sanctis omnibus præmia æterna in vita perpetua habere valeamini. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

•SS•



Item